

Bibliothèque numérique

medic@

**Coutouly, Pierre-Victor - candidat /
Levacher, François Guillaume -
président. - De cataracta nova ratione
extrahenda**

1766.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°18



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0018](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0018)

DE CATARACTA
NOVA RATIONE EXTRAHENDA.

THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. FRANCISCO-
GUILLELMO LEVACHER, Artium & Chirurgiæ
Magistro, Regiæque Chirurgorum Academiæ Consilia-
rio, necnon Chirurgiæ Scholarum Practicarum Professore,
tueri conabitur, PETRUS-VICTOR COUTOULY, *Parisinus,*
in almâ Universitate Parisiensi Magister, necnon magni
Nosocomii Parisiensis Chirurgus internus.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati, 13^a. Septembris à sesqui-secundâ post meridiem ad
septimam. Anno R. S. H. 1766.


PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.


M. DCC. LXVI.

S



DE CATARACTA
NOVA RATIONE EXTRAHENDA.

T H E S E S



TYPIS P. A. L. P. R. I. N. T. U. R. R. E. G. I. I. C. H. I. R. U. R. G. I. C. O. L. L. E. G. I. I.
Typographi.

M. D. C. C. L. X. V. I.



D. O. M.
 DE CATARACTA
 T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



INSI vulgarem extrahendæ Cataractæ metho-
 dum, quoquomodo conficiatur operatio,
 optati plerumque successus consequuntur,
 visioque notis artibus certissimè restituitur,
 ea est tamen hujusce operationis ritè absol-
 vendæ difficultas, tantamque postulat ab
 operante Chirurgo dexteritatem & solertiam
 ut mirum sit nullatenùs quòd præstantissimi quotquot extitère
 Chirurgi curam omnem ac diligentiam in eâ perficiendâ posue-
 rint atque consumpserint. Illud autem imprimis arduum & diffi-
 cile esse norunt, quod mobilissimum ita sistere oporteat ac mó-
 rari organum, ut fixum omninò sit & quasi penitus immobile.
 Neque verò delicatiora quibus utendum erat instrumenta iis

A ij

4

dotibus instruere novisse videntur, quæ assequendis iis quas desiderabant conditionibus idoneæ reputabantur.

NOSTRÆ ergo Theſeos is eſt præcipuus ſcopus, ut iis defectibus ſuppleamus, eaque ſic proponamus quæ huic-ſe delicatiori operationi conficiendæ commodiora judicavimus inſtrumenta, ut illa tanquam quibuſlibet aliis longè anteponenda ſuaſdeamus. Verùm antequam ad ea quæ hæc ſpectant deveniamus, pauca quædam de anatomicâ oculorum ſtructurâ ſimul & de diſcutiendo morbo nonnulla præmittemus.

D E A N A T O M I A.

OCULUM, præſtantiffimum illud viſionis organum, in orbitâ fitum à naturâ, ideòque variis cranii offibus ab externis impetibus deſenſum, duplicis generis partibus conſtare docent Anatomici, aliæ ſcilicet *communes* aliæ *proprie* nuncupantur.

COMMUNES dixerunt offa, cutem, pinguedinem, carnesque muſculoſas. Hæ quidem vix quidquam ad operationem, plurimum verò illæ quas proprias nominaverunt.

PARTIUM porrò propriarum compages, ob ſphæricam quam exhibent figuram, oculi *globus* appellata, multa & varia ſeduliori conſideratione digniſſima præbere conſuevit. Ac prima quidem quæ dicitur *exterior tunica*, *cornea*, alia *adnatæ* nomine inſignitâ membranâ obtegitur, & in *pellucidam* & *opacam* diſtinguitur. Utraque convexa quidem, ſed ita prominet pars anterior lucidiſſima, ut anteriori majoris ſphære portioni minoris ſphære portio ſuperaddita eſſe videatur.

ALTERA membrana priori ſubjecta, & in orbem pariter expanſa, internam ſcleroticæ ſuperficiem obtegit. Dicitur *Choroidea*; cujus pars anterior *uvea* audit, & circulum effingit variis coloribus diſtinctum qui *iridis* nomine indigitatur.

HUJUS in medio foramen quoddam obſervatur quod aliâ ſtrictius, aliâs patentius minorem aut majorem luminis copiam excipit, & *pupilla* nuncupatur.

QUOD concavam corneæ lucidæ inter, & anteriorem ac ferè,

planam iridis superficiem spatium interjacet, *camera* oculi anterior appellatur & certam quamdam *aquei humoris* quantitatem continet; illud verò quod uveam ponè reperiatur intervallum, *camera posterioris* nomine non suo distinctum est, & modicâ pariter humoris aquei quantitate repletur.

ULTIMA & postica membranarum oculi *retina*, nervi optici vera expansio, internam Bulbi faciem à fundo, ad eam ferè usque partem, quæ ligamenti ciliaris falsâ denominatione cognoscitur, sensim sine sensu sese minuendo expandit, & vitreum humorem propriæ cellulis tunicæ contentum tegit.

TRIPLEX ergo generis humores in oculo celebrantur. Omnium primus *aqueus*, *cristallinus* alter, & ultimus *vitreus* nominatur. Camera oculi anticam, ut jam diximus, totam adimplet ille quem primum nominavimus, ibique solâ iride *cristallinâ*que substantiâ, & corneâ pellucidâ continetur.

CRISTALLINUS verò humor, majori tenacitate & densitate gaudet, quam ut humoris nomen jure subeat. Eam porrò figuram exhibet quæ lenti propria est, cujus anterior superficies leviter sphaericè convexa, posterior autem ellipsoïdalis esse animadvertitur. Peculiari quâdam tunicâ circuminduitur à quâ non prorsus difficili negotio deliberatur. Vitreum humorem quem ponè se habet ita premit, ut concavum quasi quoddam inibi vestigium faciat quod ipsomet intuitu facillimè deprehendes. Præterea in anteriore *cristallini* facie membranulam quamdam reperiatur *cristalloideâ* nomine celebrem quam à membranâ vitreum humorem continente ita prodire notum est, ut lens *cristallina* inter ambas membranæ illius laminas inclusa videatur.

POSTREMUM igitur humorem vitream substantiam dixeris; quæ singulari membranâ coërcita unâ cum suo sacco ab Anatomico dissecante auferri potest. Ipsi *retinæ* immediatè incumbit, mirisque refringendi luminis usibus simul cum cæteris Bulbi humoribus infervit.

EX CHIRURGIA.

VISIO vel turbata vel abolita ab humoris cristallini ejus-ve membranarum opacitate, Latinis *Cataracta*, Græcis *ὀφθαλμία* appellatur & varias fortitur denominationes ratione partium opacarum, consistentiæ humoris indurati, & diversorum quos referunt colorum. Hinc dividitur *Cataracta*, 1^o. in *Cataractam proprie-dictam* & *membranaceam*, 2^o. in *incipientem* & *confirmatam*, 3^o. in *præcocem* & *maturam*, 4^o. in *solidam* & *lacteam*, 5^o. tandem in *albam*, *caruleam*, *gryseam*, &c.

STIGNA *Cataractæ communia* sunt vel *propria*. Quibuslibet *Cataractarum* speciebus priora conveniunt; unamquamque *Cataractam* posteriora demonstrant. In quâcumque *Cataractæ* specie pupilla obscuratur, & radii luminis, aut pauciores, aut nulli ad retinam perveniunt; unde visio turbatur vel omnino tollitur. Præterea à corpore opaco reflexi, certum quemdam solidioris corporis ponè pupillam existentis colorem consideranti Chirurgo referunt, quod nec in glaucomate, neque in corneæ albugine unquam observaveris.

QUÆ ab opaco cristallino *cataracta* oritur non aded facile dignoscitur ab eâ quæ ab induratis ejusdem membranis accidit. Illud tamen videtur peculiare *membranaceæ* quod semper sub cinereo colore se se offerat, dum varios referre solet colores ea quæ propriè dicitur *Cataracta*.

INCIPIENTEM verò *Cataractam* ex eo noveris quod visio tantum inter-turbatur, cum eum opacitatis gradum nondum adeptus fuerit cristallinus, quæ in confirmatâ deprehenditur. In præcoce, idem humor etiam num vix induratus vel opacus, non eam soliditatem acquisivit quæ necessaria est ut omnes omnino radii reflectantur, quod in maturâ perpetuò reperitur. Verùm solidam perfacile distinxeris à lacteâ, cum in eâ cristallinus humor fluidus & opacus lacteum colorem exhibeat, & in solidâ, consistens & absolute solidus inveniatur. Varios porro *cataractarum* colores à variâ partium radios impredientium & reflectentium naturâ deduxeris.

PROXIMAM *cataractarum* causam assignare minimè difficile

est. Cristallini vel ejus membranarum inspissationem & obscuracionem horum affectuum immediatam causam esse patet evidentissimè. Si quid autem in causas remotiores conjectari licet, harum omnium valentissimam senectutem cuncta indurantem non absurdè prædicaveris.

QUANQUAM ex iis quæ humano in corpore peraguntur functionibus, non ultimum locum tenet oculorum usus, quia tamen vivere potest homo absque visionis exercitio, Cataracta idè non inter periculosos, quibus homines conflictantur morbos annumeranda est. Unicum illud tristissimum equidem, sed minimè exitiosum, quod accidere possit incommodum, visus est absoluta destructio. Nec enim omnes omninò Cataractæ extractione sanari possunt, tunc autem ita tractari debent, ut malum non ultrà progrediatur. Scilicet incipiens & præmatura nullatenus operatione auferri potest; eò requiritur ut justam ac debitam soliditatem humor cristallinus acquisierit.

UBI igitur eas dotes adepta Cataracta est quæ requiruntur ut fiat cristallini opaci extractio Chirurgica, præparatis omnibus iis quæ solitâ in operatione comparari consueverunt, ægro- tantem Chirurgus in situ convenienti collocat & ea quæ excogitavit hujusce actus præses hic exarata instrumenta, more sequenti disponit & tractat.

Ac prius quidem quo hic uti debet Chirurgus instrumentum, lanceam refert quatuor vel quinque transversis digitis longam, in quâ pars duplex animadvertitur. Altera lancea propriè dicitur, altera manubrium. In lanceâ extrema & corpus considerantur. Ultima & crassior extremitas manubrio infigitur, rectâ quæ tendit sub unicâ latitudinis lineâ, semilineâ verò spissitudinis ad medium usquè corpus. Ibi minutis & latitudine & spissitie, ad anteriora curvatur, subitòque retrorsum ita replicatur, ut trullæ instar desinat in cuspidem. Altera extremitas lanceæ cuspidis audit, in quâ pediculum & ipsamet cuspis consideranda veniunt. Pediculum planum est, tenue, politum, ab illo, ubi desinit corpus, angulo ad basim cuspidis usquè, duabus ciciter lineis trajectu, rectâ tendit. Ibi vera cuspidis trianguli figuram refert, cujus altitudo trium linearum est, & basis duarum linearum lata. Politissima etiam & acutissima est, ac veluti phlebotomus culter in utrumque latus exquisitè secare debet.

ALTERUM quod in usum venit instrumentum scalpellum

exhibet æqualem priori instrumento longitudine, in eoque pariter pars duplex consideratur, manubrium scilicet, & *laminula*; extremitas ultima manubrio quoque eburneo figitur, & *laminulæ corpus* eâ est crassitie ac latitudine, quam in alio consideravimus. Quâ parte secat, duplici curvaturâ gaudet; altera ad anteriora lenis, ad latus internum altera spectat, & ita in cuspidem definit, ut subtilissima acies in acum abeat penetrantissimum. Planissima est hujus scalpelli superficies politissimaque, & habet à basi ad cuspidem usque, lineam geometricam latitudine.

His igitur in antecessum paratis, collocatoque, lumine ad-
verso, in fedili, vel in lectulo, ægro; apposito simul ad caput, ejus ministro, dum alius instrumenta tenet ea, ordine disposito suppeditaturus, illum locum Chirurgus operator eligit, qui vel intra genua est ægrotantis, vel ad latus illud, quod idem esse debet, ac oculi perforandi latus, sedet vel stat. Tum elevatâ superiore palpebrâ à ministro ad caput ægrotantis stante, firmato que in parte supernâ bulbo ejusdem ope mediante; suo indice digito palpebram inferiorem deprimit Chirurgus, sinistrâque manu (a) primum instrumentum, seu lanceam externè (b) & parumper inferiùs insigit in oculum sub corneâ pellucidâ, in eâ parte quæ scleroticam definit, adactâque in cameram anteriorem cuspide penitus, contra angulum sectionis externum instrumenti pediculi latus respondens leniter apprimat, acceptum deinde à ministrante Chirurgo scalpellum per inceptum vulnus suprâ cuspide faciem anteriorem æquabili motu condit, ipsoque mediante, securâ dextrâ corneam secundum eum circulem quem describit tractum dissecando à minore ad majorem oculi cantum incidit. Perfectâ dehinc latâ sectione, per inferiorem corneæ marginem lanceam educit ex oculo, relictoque in vulnere scalpello, ipsum vertit, atque illius acum versùs pupillam dirigit Cristalloideam membranam transversim dissecaturus. Quo quidem peracto scalpellum extrahit, pressoque leniter, ut fieri solet, oculi bulbo perforati, Cataracta decidit, omniaque sicut in solemnioribus operandi methodis ordinantur & absolvuntur.

(a) Supponitur oculus dexter operandus. Si enim ageretur de sinistro, quidquid hic peragitur dexterâ manu, sinistrâ absolveretur; & culter quateretur Chirurgus incurvari deberet in faciem & latus contraria.

(b) Lanceola ab externo oculi latere ad centrum corneæ pellucidæ semper dirigitur; indeque varium ratione oculi perforandi manuum munus & officium.

F I N I S.